

quæ illis similitudinibus figurantur; ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus accenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad requiem & quietem.

Ideoque inter omnia illa decem præcepta solum ibi, quod de sabbato positum est, figuratè observandum præcipitur; quam figuram nos intelligendam, non etiam per otium corporale celebrandam, * suscepimus. Cum enim sabbato significetur spiritalis requies, de qua dictum est in Psalmo: *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus: & quò vacantur homines ab ipso Domino dicente: Venite ad me, omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam: Tollite jugum meum super vos, & discite à me: quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: cætera tamen ibi præcepta propriè, sicut præcepta sunt, sine ulla figurata significatione observamus. Nam & idola non colere manifestè didicimus, & non accipere in vanum nomen Domini Dei nostri, & honorare patrem & matrem, & non mœchari, non occidere, non furari, non falsum testimonium dicere, non concupiscere uxorem proximi, non concupiscere ullam rem proximi, non figuratè aliud prætendunt, & mysticè aliud significant; sed sic observantur, ut sonant. Observare tamen diem sabbati non ad literam jubemur, secundum otium ab opere corporali; sicut observant Judæi: & ipsa eorum observatio, quia ita præcepta est, nisi aliam quandam spiritalem requiem significet, ridenda judicatur. Unde non inconvenienter intelligimus ad amorem excitandum, quo ad requiem tendimus, valere omnia, quæ figuratè in Scripturis dicuntur: quandoquidem * non solum in Decalogo figuratè præcipitur, ubi requies commendatur, quæ ubique amatur, sed in solo Deo certa & sancta invenitur.*

Dies tamen Dominicus, non Judæis, sed Christianis, resurrectione Domini declaratus est, & ex illo habere cœpit festivitatem suam. Animæ quippe omnium sanctorum ante resurrectionem corporis sunt quidè in requie; sed in ea non sunt actione, quâ corpora recepta vegetantur. Talem quippe actionem significat dies octavus, qui & primus, qui non aufert illam requiem, sed glorificat. Non enim redit cū corpore difficultas ex corpore: quia nec corruptio. Oportet enim corruptibile hoc indui incorruptionem, & mortale hoc indui immortalitatem. Quapropter ante resurrectionem Domini; quamvis sanctos patres plenos spiritu prophético octavæ sacramentum nequaquam lateret, quo significatur resurrectio; [nam & pro octava Psalmus inscribitur, & octavo die circumcidebantur infantes, & in Ecclesiaste ad duorum testamentorum significationem dicitur: *Da illis septem & illis octo:*] reservatum * est tamen

F f f f

*Al. est: tamen illis est occ.

CAP.

XII.

*Al. suspi-
cemur.

Ps. 45. (46.)

11.

Math. 11.

28.

570.

Exod. 20.

3.

Deut. 5.7.

*Al. idl.

CAP.

XIII.

1. ad Cor.

15.53.

Psal. 6. 13.

(12.) 1.

Gen. 17. 12.

Eccl. 11. 2.